

QK. 520/39.

D. F. G.

(K1853638)

II

IIa
674

IN
VETERUM CON-
SVETUDINEM, LITE-
RARUM STUDIO OPIFICIA
JUNGENDI,

IN ALMA LEUCOREA,

Sub PRÆSIDIO

M. CHRISTIANI WILHELMI
LOESCHERI,

Sondersh. Schvartzb.

publicè commentabitur

Auctor Respondens

JOHANNES DAVID SEHMIUS,

Cygn. Misnicus,

Ad Diem 2. Decemb. M DC XCVI.



WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



VIRIS

*Magnificis, Amplissimis, Consultissimis,
Prudentissimis,*

DOMINIS CONSULI-
BUS, AC RELIQVIS
SENATORIBUS
CYGNENSIS REIPUBLICÆ
SPECTATISSIMIS,

*Dominis, Patronis, ac Promotori-
bus suis nullo non obsequio pro-
sequendis,*

Primitias hæc Studiorum,
devotæ mentis, & ad quævis servi-
tia promptissimæ, interpretes
offert

Cliens devotissimus

Joh. David Sehmius,
C. M.



Quid penes illos, qui infinitis pene laboribus incredi-
 bilique studio jus aliquod eruditæ civitatis adepti
 sunt, omnia admiratione digna sint, tum verò illud
 peculiarem observationem merebitur, quod pleriq;
 illorum, etsi nihil magis abominari soleant, quam
 humi repere, ac in pulvere contemnendo, cum perpetua oblivione
 colluctari, animum tamen non nisi summis advetum rebus, eò in-
 terdum dejecerint, ut ad inania argumenta nulliusque unquam fu-
 tura pretii, tanquam ad metalla damnatum, magno impetu nugas
 agere coegerint. Id quod jam ætate suâ solenne ac frequens fuis-
 se noctium Atticarum scriptor *Gellius* testatur *lib. 17. cap. 12.* qui ma-
 terias ejusmodi inanes & infames appellare non veretut. Ecquis
 nescit, Aristomachum olim, non expertem Matheseos hominem,
 in natura muscarum pulicumque saltibus metiendis 60. annos con-
 terisse conf. *Richerius Obst. an. cap. 11.* Hodie consuetudo hæc lon-
 gè frequentius occurrit, ut ferme inter principes literarum nemo
 inveniatur, qui non aliquando cum ratione ita insaniverit. Ma-
 gnum eorundem catalogum texuit Casp. Dornavius in amphithea-
 tro sapientiæ Socraticæ ann. 1619. publicato, ejus tamen copia tan-
 ta non est, quin variis subinde exemplis augeri ac locupletari queat.
 Satis profectò divinare non potui, quid Joh. Passeratium, Nic. Hein-
 sium, & Adolphum Rosium ad laudem asini, Guil. Menapium, & Fa-
 vorinum ad quartanæ febris encomium, Anton. Galatheum, Joh.
 Carnarium, Antoniumque Glaferum ad laudes podagræ, eundem
 Favorinum & Jacob. Baldeum ad torvitatis, Erasmus & Perisauli-
 um ad stultitiæ, Jul. Cæs. Scaligerum ad Anseris, Heinsium ad pedi-
 culi, Petrum Galifandum ad pulicis, aliosque ad aliarum tantis in-
 geniis indignarum rerum laudes percensendas compulerit. In eo-
 dem mecum dubio hæsisse videtur Raynaudus, qui in *Erotem. de*
libris bonis & malis prolixam hac de re disquisitionem instituit, da-
 mnarine debeant, an verò excusari probè dijudicaturus pag. 228.
 Quid? quod supervacua hæc eruditorum cura, in controversias et-
 iam eruperit, tanta ab illis acerbitate ventilatas, quasi à nugis ejus-
 modi, universæ salutis Græciæ penderet. Et quanquam ejus gene-

ris conatus non sine omni causa suscepti sint, ac plerumque si non utilitatem, jucunditatem tamen præ se ferant singularem, est nihilominus, quod nimiam eorum sollicitudinem tacito cum risu intuearis & quomodo indignis hisce materiis portentosa ingenia distineri potuerint, altius demireris. Videbor autem in præsens ejusdem præclari moris auctor existere, studiososque literarum ad simile negotium alligare, dum indecantatam veterum consuetudinem, quâ illi Musarum cultui opificiorum jungebant cognitionem, commentari aggredior, eo animo, ut nihil illa laudabilius & magis excellens fuisse, ostendam. Quam verò hæc abs re disputentur, præsens dissertatio, negotio huic designata, ut quæ contraria sunt, retuntat, egregiosque fructus inde provenientes aperiat, abunde manifestabit. Adsit clementissimus rerum arbiter labori nostro, eoque certiori auxilio nos protegat, quò magis infirmitatem nostram agnoscimus, quove calidioribus votis opem ejus unicè imploramus ac obtestamur.

§. II. Placet equidem ab ovo ordiri, ne quid præter consuetudinem agentes, novis studere rebus & antiqua contemptui habere videamur. Ac sistunt se principio duo subjecta, literæ ac opificia, de quorum conjunctione omnis disputatio futura est. Quid verò nominibus his indicemus, & neminem, opinor, fugiet, & facilè, si foret opus, à nobis posset explicari. Quanquam enim literæ vulgatori sensu, elementa linguarum denotent, in eminentiori tamen significato ad omnia adhiberi solent signanda, quæ nullam in eruditione universa partem constituunt. Quorsum adeò non singulas solum Philosophiæ classes, verùm & eminentiores scientias, ne ipsa quidem diviniore excepta pertinere opinor. Opificia autem eo clariori nomine gaudent, quo sæpius eadem obijciuntur oculis, auriumque sensui in cognomento hoc offeruntur. Interim notari conveniet, comprehendendi hac voce non solum sellularias artes, sed quævis etiam corporis exercitia, quæ vel ad ornatum corpori conciliandum, vel animi relevandi gratia adire solemus. In qua sensus extensione præivere nobis summi viri *Gerh. Job. Vossius lib. de 4. Artibus popularibus, & Job. à Woupper de Polymachia cap. III.* Ex hac rerum facie in promptu observare erit, quantum discriminis liberales artes & illiberales interja-

terja-

terjaceat, quamve arduus labor futurus sit, utrasque conjungere, inque uno subjecto unire velle. Magnam tamen in illis affinitatem olim hodieque notarunt præsertim Lucianus & Angelus Politianus, qui sub solo philosophiæ nomine, omnia hæc, confidentius sunt complexi. Quibus cum ex parte quidem non facimus, illud tamen inde haud iniquo colligimus judicio, nos in ambarum connexionem, cum tantâ se mutuo propinquitate contingant, non frustra laboraturos.

§. III. Quò autem liquidius de utriusque natura constet, non parum referet historias illarum breviter examinare. Ac literarum quidem historiam, literariam usitatiore nomine inscriptam, inter desiderata temporis sui retulit Francisc. Comes de Verulamio, parum tamen abest, quin id falsissimè ab eodem factitatum dicamus. Quanquam enim integrum hujus historiæ corpus nullum olim extitisse reperiatur, partes tamen ipsius singulas ex amœnissimis Hippoboni, Plutarchi, Laërtii, Photii, Heurnii, aliorumque scriptis conquirere poterat. Hodie profectò in feliciora reservati sumus tempora, præsertim postquam defectum hunc (si quis olim fuit,) viri ingenii studiorumque gloria excellentissimi, abunde suppleverunt. *Morboffius in Polybist. suo*

Omne tulit punctum, dum miscuit utile dulci.
Nec minus adjumenti studio huic attulerunt illi, qui ephemeridum, diariorum, actuumque eruditorum invento nimium sequantum erudito orbi commendarunt, vid. *Auctores Act. Lips. in Pref. ad ann. 1682. & Junckerus Tract. de Ephemeridibus singulari.* Utinam tanto etiam apparatu historia opificiorum gauderet, quo gesta eruditionis consignata legimus. Vix enim quicquam ejus occurrit, præter Itali cujusdam studium Thomæ Garsonis & Germani, Hartmanni Schöpperi, qui omnium artium ordines ac fata peculiari libro persecuti sunt. Justiori volumine eadem & promere & explicare instituit Thevenotius Gallus in Vasto de opificiis opere, quod profectò perduxisset ad umbilicum, nisi fata laboribus intercessissent, teste *πολιϊστῶ Morboffio Polybist. lib. I. p. 2.* Tribuit quidem tentati laboris hujus laudem Italis præsertim, *Rob. Boyle in Philos. Exper. Part. II. Exerc. V. pag. 525.* quod opificia quædam speciatim delineanda susceperint, paucos

tamen imò paucissimos allegat, præterque Anton. Nerium ac Bonaventuram Cellinium, qui Sculpturariam & Statuariam artem condiderunt, neminem potuit appellare. Et mirum profectò est non pari, cum studiis artium harum acta, sollicitudine, commemorata fuisse, cum ætatis ejusdem sint, sibiq; invicem antiquitate ne tantillum quidem concedant. Deum ambæ autorem venerantur, simulque in ipso naturæ principio existere ceperunt. De literis res confecta esset nisi ex Socinianis forent, qui adversam opinionem omni conatu propugnarunt. Satisfecit illis quidem ex asse Arnoldus Luce in tenebris, ac præterea vanitas ipsorum vel ex sola Adami sapientia patet, quo cum, si ingeniosissimi ingeniorum scrutatoris Huarti *Scrut. Ing. p. 554.* testimonio fidendum est, naturâ ita comparatum fuit, ut scientiæ nullius experts esse potuerit. Ac ne quid ambigamus nominum impositio inventioni ejus debita in causa est. Hoc enim factò nihil sapientius, nihil doctrinarum copia abundantius cogitari posse, vel ipsi gentiles agnoverunt, veluti de Pythagora *Ælianus var. Hist. L. 4. C. 17.* testatur.

§. IV. Sicuti autem antiquissimi literarum natales sunt, ita tamen nihilo vetustiores opificiis putari debent. Certissimum enim est iisdem fere temporibus & orbis creationem & opificiorum inventionem contigisse; Quamquam de cætero non ausim definire, quodnam illorum reliquis omnem antiquitatis palmam præripiat. Sutoribus gloriam hanc asserit Bened. Balduinus perquam ingeniosæ rationi innisus, fieri nempe aliter non potuisse, quin cum divinum Numen lapsis parentibus iratum, agro malediceret, illumque ad ferendos damnaret tribulos, nudis ideo pedibus Adamus non incederet, calceorumque subsidio uteretur, vid. Liber ejus de Calceo Antiquo. Hujus verò rationis infirmitatem probè notavit Anton. Bynæus lib. de Calceo Hebræorum, sed ita, ut nihil interrim certi de propria opinione affirmet. Alii sartoribus id laudis tribuunt, quibus tamen victoriam hanc ambigam reddit Tentzelius in *Dialogis Eupivovs* M. Januar. 1690. p. 4. qui in Latinitate gratiam momenta controversiæ hujus discindens ipsos antiquitate maximos pronunciat. Nec enim (argumentatur) vestes ex pellibus ante confici poterant, quàm animal pellem suppeditaturum mactaretur. Quæ opinio, etsi multos inventura sit adver-

adversarios præsertim è Gnosticis ap. Tertullianum Lib. de Resur-
rectione carnis, Johannemq; Hierosolymitanum, qui pellem hanc
de cute hominis exponunt, & ex recentioribus Joh. Clericum Com-
mentar. in Genesin, qui de septis illam tectoque protoplastis para-
to interpretatur, mihi tamen digna videtur, quàm destituti magis
clara, omnes retineamus.

§. V. Verum hæc ego aliorum spectare nolim, quam ut in-
de manifestò pateat, si vetustatis ratio haberetur, eandem & ingenii
& manuum artibus dignitatem fore. Accedit quod simili sem-
per studio utræque ab hominibus cultæ exercitæque fuerint, ut
multi hodie disceptent: veteresne an recentiores illarum magis fu-
erint solliciti. Quantum ad nobiliores picturam puta statuariam
&c. veteres hodiernis peritiores declarat summus vir *Job. H. Bæcle-
rus Dissert. Acad. p. 9.* muniens se famoso certamine artis novæ &
antiquæ, Mantuæ olim magno spectantium cum applausu mon-
strato. In contraria verò omnia discedit *Masenius in utili Curio-
sit. cap. 5. p. 105. 106.* qui multis ex causis obtinere satagit recentio-
res veteribus nec pictoria nec statuaria inferiores esse.

§. VI. Quod si quis causam, cur prolixè adeo de utriusque
historia egerim, scire desideraverit, is mihi præmonendus erit, ut
sibi hoc sufficienti documento esse sinat, artes ætate, honore cul-
tus, colentiumque numero æquales non omnem penitus in uno
homine conjunctionem respuere. Præterquam enim quod ma-
jores instituti hujus ac moris ignari non fuerint, ratio etiam non
impedita dicitur, nec minus hodie ex eruditorum re fore, si sub-
limium rerum scientiam cum artium inferiorum cognitionem
necterent, & quasi permiscerent. Fuisse quidem olim aliquos non
diffiteor, qui alienissimo abhinc animo fuerunt, veluti Thespian-
ses, quibus turpe putabatur, artem ejusmodi vel didicisse, vel ex-
ercere, unde insignis eorum paupertas (nullo enim opere rem fa-
miliarem augebant) in proverbium abiit observante *Celso Rhodi-
gino Lib. 21. cap. 48.* Ejusdem opinionis vindicem Stoicorum il-
le princeps *Seneca* agit *Epistola 90. p. 404.* cui in eo viam straverat
Romana Siren *Cic. in lib. Offic. 1.* qui & sordida opificia appellant
& longius à sapientis vita abesse debere contendunt. At e-
nim verò ne tanta tantorum virorum autoritas nostræ opinioni
offi-

officiat, fatius opinor, fundamenta ipsorum ac pondera brevibus
examinare.

§. VII. Præcipua ipsorum spes in turpitudine nescio qua, in
ipsorum forte nata ingeniis collocata est. Invenerunt hac in re
ομοψήφους multos ex recentioribus, præsertim J. C. tis, qui proinde
illa nobilibus personis indigna faciunt, veluti *Tiraquellus de No-*
bilitate cap. 34. ib. 1. & Noldenius de eadem cap. 22. Non pervo-
litabo omnium temporum historiam, indeque autoritates & ex-
empla coacervabo, quibus tamen facile fictam eorum turpitudi-
nem profligarem. Verùm illud unice postulo, ut exertis conce-
ptisque mihi verbis describant, qua in re turpitudine illa consistat,
cum Davum me esse sentiam non Oedipum nec divinare valeam,
unde nam illa demum exculpenda sit. Finis profectò hone-
stissimus est insignem Reipublicæ utilitatem lucrifaciens. Quæ
ratio tanti visa est Aristarcho illo eruditorum Gerharδο Johanni
Vossio, ut in Libro de IV. Artibus Popular. viles easdem esse ne-
garit. eò quod possidentem vel meliorem, vel utiliorem sibi aut
Reipublicæ efficiant, Cap. i. th. 4. p. 3.

§. VIII. Fortioribus longè magisque stringentibus argu-
mentis alii utuntur, qui ordinem ita omnem conturbari periculo-
sissimæ *πολυπραγμοσύνη* aperiri fenestram, frequentiori; *των ἀλ-*
λοτριων tractatione omnem perfectionis inter eruditos spem in-
tercludi contendunt. Nihil autem confusione indignius, nihil
πολυπραγμοσύνη perniciosius. Quod suo ille exemplo Justus
Jonas, morti jam vicinus docuit:

Disce meo exemplo (inquiens) mandato munere fungi,

Et fuge ceu pestem *την πολυπραγμοσύνην.*

Sunt hæc quidem ponderosa tantique roboris, ut parum absit,
quin in contrariam nos partem deducant. Ordinem enim è mun-
do si sustuleris ipsum te solem sustulisse putes, & *πολυπραγμοσύ-*
νην in orbem in vehendo juri te naturali vim facturum memine-
ris, cujus ex præscripto uni cuiq; suum erit tribuendum. Non
parum autem juvabit conciliandæ rationis hujus ergò observare,
non miscendos esse illos, qui opificiis perpetuo se dicant, vitamq;
eo quæstu tolerant cum his, qui cognitione illorum instar mediæ
solum ad faciliorem doctrinarum perceptionem proficui utuntur.

Quam-

Quamvis enim largiar & confusionem & πολυπραγμοσύνην inde oriri, si prioris libertatem cuilibet eruditorum indulgeas, illud tamen pariter affirmandum est, posterioris concessionem adeò neutrius matrem esse, ut utramque potius à se, & ab omni Republica se moveat. Si enim nihil cognitionem tuam effugiet, nescire etiam non poteris, cui quidlibet loco ordinique competat, quodve officium cuilibet ingenio sit deferendum, cujus generis πολυπραγμοσύνην multis modis dilaudat Wouvverius de Polymathia cap. II. p. 16. 17. Et qua quæso ratione perfectioni obicem ita poni evinces, cum sæpius jam inculcatum sit, haud alio fine opificiorum scientiam imbibi, quàm ut per illam promptior ad summam eruditionis ἀκμὴν ultimamq; scientiarum perfectionem, aditus sternatur. Hanc itaque πολυπραγμοσύνησιν sororio cum Polyhistoria vinculo connexam in tantum non improbo, ut illam sane vix ac ne vix quidem satis laudari posse censeam; Nec enim una in arte consenescere ingenium debet, sed cum pluribus par sit, plura etiam complecti.

§. IX. Tandem etiam ad illos veniendum est, qui literarum studio ex hac ejus cum artibus viliorib; societate periculum metuunt, temporis jacturam fieri, ac detrimentum ingenio afferri, interferentes. Neque explicationis indiget, tanto plus temporis impendendum esse, quanto nobis plura discenda proponuntur; quin etiam nimia hac rerum copia ingenium obrui, ut cum pluribus intentum esse velit, minori ad singula capacitate deveniat. Imprimis cum tantæ intellectui nostro vires non insint, quæ rerum quarumque vastitatem circumscribant, cumve illæ adeo interdum infirmæ sint ac fallaces, ut ne uni quidem scientiæ satisfaciant, veluti de Physica testatum reliquit, Joh. Lockius in Tentamine circa cognitionem humanam, & Burnetius in Theoria Telluris sacra p. 2. At enim verò diversa longè sunt, quæ, si exemplorum inductionem rationumque nervos audias, recta hinc consequuntur. Idque, quantum ad Lockium, Burnetiumq; attinet, egregiè declaravit Baconus in descriptione Globi Intellectualis. Quandoquidem, si artium illarum adjumento cognitionem rerum citius acquirimus, & experientiam non nisi tot rationum millibus comparandam, unius alteriusve artificii experimento non elicimus tantum, verum & robustiorem virilioremq; reddimus, quæ obsecro fieri poterit, ut tempus sefellisse & ludicra-

dicrarum rerum cura consumfisse dici queamus: Iuvat interim au-
dire, quid hic in adverfum nobis moliatur G.J.Voffius lib. cit. I. §. 6.
p. 4. quippe qui vel ideò sibi diffentiendum esse putat, qui artes hæ-
dum vilibus rebus distinentur, animum plerumque abjiciunt, & in-
eptum reddunt ad capeffendam Rempublicam, quin & fieri corpore
ignavo minusq; idoneo ad militiam. Nihil tamen est, quod inde da-
mnum opinioni nostræ oriri credamus, re ipsa satis loquente & Vos-
fio assertum hoc suum ita temperante, ut aliorum longè digitum,
intendere voluisse videatur. Ipse profectò de illis solum loquitur,
qui semper in tabernis confident, operasque ejusmodi exercendo
quæstum faciunt, ac in eo pendent ab aliis, quibus submittere se &
adulari coguntur; Idq; de artibus singulis pronunciat, sine liberali-
um exceptione, si quæstus modo & ambitionis causâ tractentur.
Quis non videt? alienissimos ab his esse, qui simili, quam nos urge-
mus ratione & studiis incumbunt & artibus opificum; utpote quæ
animum non deprimit, sed supra omnia, atque ad summam, quam
vel sperando attingere possumus, perfectionem attollit. Quod nec
diffiteri Voffius potuit, dum æquale Aristotelis effatum explicans.
Longè secus est, inquit, si solum aut potissimum discamus vir-
tutis causâ, ac ut amicis pro simus in publico. Ipsum itaque con-
fidentem habemus sibi que promachum parantem, in summo, ac tan-
tum non pro infallibili habito Aristotele (vid. Alsted. Thes. Chrono-
log p. 479. & Thomafius in Orat. IX. p. 165. qui plures ejus rei testes
sibi adjungit,) cujus utriusque autoritate magnum profectò pon-
dus ad opinionem nostram accessit. Nec illud in univèrsam admit-
terem, perpetuam opificiorum curam animo ignaviam, ingenio vi-
litate, judicio hebetudinem conflare; siquidem contrarium exem-
plo non uno roborari potest. Qui hac de re dubitant Plautum sibi
Terentiumq; in memoriam revocent, tantam ingenii gloriam ade-
ptos, ut cum à nemine palmam sibi hanc interverti videant ipsi in-
ter se de principatu decertare debuerint, vid. Barthius de Latina
Lingua, Rol. Malesius Lib. I. Epist. 49. & II. Epist. 6. Scaliger Poetic.
p. 375. Taubm. Orat. de Lingv. Lat. & Buchnerus Lib. I. Epist. 75. Mul-
tò quidem plura ejus generis exempla memoria temporum sugge-
reret, sufficiat tamen duo solum citasse nomina, quæ quanto magis
in omnium oculis versantur, tanto plurium sine dubio consensum
nobis

nobis lacrabuntur, cum vel hinc appareat, nos quocunque armorum genere pugnandum erit, & exemplis & rationibus, utrisque factis abundeque instructos esse.

§. X. Itaque aliorum nos convertimus, & quo pacto jam juvari opinio nostra quibusq; suffulciri debeat tibicinibus breviter expediemus. Magna profecto antiquitatis vis est, praesertim in flectendis hominum animis, quibus tacita ejus quaedam inest veneratio, quam caeco ut plurimum impetu sequi malunt, quam semel amittere. Quem etiam abusum advertit ingeniosissimus Anglorum Th. Brownus in Pseudodoxia Epidemica Lib. I. c. 6. p. 28. quando omnem movet lapidem, ut auctoritatem vetustatis, si non profus imminuat, aliquo tamen modo studiosis faciat suspectam. Quanta vero quanta ejus est dignatio, nobis tamen nihil officit, non caeco nempe errore majorum relata approbantibus, sed occupatis in argumento tali, quod magnum sibi robur ex manifesto vetustatis consensu adsciscit. Testantur enim Juris & aequi prudentes in consuetudinibus afferendis tempus immemorabile instar legis esse, inopiamq; probationum antiquitatis copia restitui, conf. è multis Theod. Reinking. de Reg. Sec. & Eccl. Lib. I. Claf 5. p. 158. 159. Quod sicubi veritati consentaneum est, quanto minus nobis vertetur vitio, dum in jacendo primo consuetudinis hujus fundamento potissimam majorum & antiquitatis rationem habemus.

§. XI. Nec enim praeteriri haec poterant, cum quoties memoriam praeteritorum temporum repetimus, toties tanta tamque manifesta in illis vestigia appareant, quae vel ab oculis capto deprehendi possent. Cujus rei testimonium perhibet Conr. Rittershusius in Lect. Sacr. p. 290. seqq. usitatum olim & omnibus propemodum familiare fuisse, ut studiosi Musarum se cultui emancipantes addiderint literis artem *λυα τὸν βανάριον*, idque ideo fecerint, quo si forte veniret usu, ut Musae in nullo essent pretio, haberent interim unde necessaria peterent vitamque miseram utcunque tolerarent. Verum neque hic omnem antiquitatis rationem assecutus est, quae in obsoletiora longè tempora oculos reflectit, sistens in Hippia Eliensi, qui ipso Platone major fuit, exemplum nostra cum consuetudine per omnia conspirans. Clarus is erat artium quarumvis multitudine, vid. Apulejus Lib. 2. Floridor. nec ipsas quoque ma-

nuarias neglexerat, quin se illis ita fecerat participem, ut nihil non
calleret, & nullius ope esset indigus, proprio sibi Marte omnia ve-
stes, calceos, &c. conficiendo, vid. Erythræus, sive sub persona hac
latens Roscius, Pinacotheca Lib. 1. p. 5. 6. Etsi autem institutum
viri hujus non planè nitidiori calculo notemus, certum tamen
hinc est, quàm arcto inter se vinculo constrictæ artes sint, ut sine il-
liberalium cognitione nullus ferme ad absolutam omnibus nume-
ris eruditionem aditus pateat. Quod etiam in causa est, cur pleri-
que olim ab iisdem non abhorrerint, veluti Apostolus Paulus
Act 18. v. 3. cap. 20. v. 34. 35. & 1 Cor. 4. v. 12., qui cum diu mul-
tumque ad pedes Gamalielis sui sive sedisset, sive stetit, (quam-
litem Sam. inter Petrum & Jos. Scaligerum meam non facio, vid.
interim Joh. Tob. Major ad cap. 23 actorum) pendensque ab ejus
ore multis se doctrinis tinxisset, nunquam tamen ab opificum arti-
bus, ita alienus fuit, quin illam τῶν σκηνοποιῶν non didicerit mo-
do, sed frequenter etiam factitavit. Idem de dulcissimo Sospita-
tore nostro Jesu Christo ex Justino Martyre, Basilio Magno, vete-
rumque aliis prædicat laudatus sæpe Vossius Lib. cit. p. 4. Ipsum
unà cum Josepho fabrilem haud rarò artem exercuisse. Quorsum
tamen aniles Pontificiorum fabulas in Evangelii Nicodemi aut
Jacobi Protevangelio obvias reduci nolim, indignas equidem, quas
in præsentia recenseamus.

§. XII. Loquitur itaq; pro nobis antiquitas, tantumq; splendoris
conciliat, quantū à contraria opinione nemo facile expectavit. Quia
verò nos non auctoritate solum sed rationibus veritatem metiri de-
cet, ostendemus igitur eo se magis approbare opificia, quò plus u-
tilitatis literarum studio pollicentur. Nolim tamen illam in eo
collocare, quod sumtuum multitudo ita non parum imminuatur,
cùm propriis viribus, omnia, quæ ad nos pertinent, conficere que-
amus. Quo etiam respexisse memoratus jam Hippias ejusque in
his æmulus Cæsar Bottifanga videtur, teste Jano Nicio Erythræo Pi-
nac. Lic. 2. n. 17. Longè huic pretiosorem illam utilitatem censeo,
quæ studiis inde accedens, tot nobis eruditionis thesauros exhibet,
ut meritò ei potiores hic tribuendæ sint. Unde enim quæso citius,
unde certius experientiam tibi parabis, quam ex ipsa rerum inspe-
ctione manuumque contrectatione frequenti? Non satisfaciunt illi
& cu-

& cupiditati discentis & rerum scitudinarum amplitudini, qui viriliori experientia neglecta ex libris solummodo *παισοφία* se subactumque iudicium haurire posse arbitrantur. Expertus hoc est eloquens ille Phormio, qui admirandam dicendi vim Annibali ostensurus, cum multa de imperatoris officio & omni re militari copiose dixisset, irrisus ab eodem ac false delusus est. Interrogatus enim, annon miraculo propius sit tam floridum orationis flumen, respondit: Se Phormionem pro deliro maxime senum habere qui solum sciret *ἐκ βιβλίου κὺ βερναῖ*, quare addenda est librorum evolutioni crebrior aliarum rerum tractatio, ne deinceps necessitate ultro urgente ignorantiam nostram & profiteri & deplorare habeamus. Profecto si haec studiorum ratio Lutheri aetate florisset, non sane incredibili illo in habendo vocu delectu & exquirendis cujuslibet rei propriis nominibus, labore opus fuisset, de quo ipse non semel queritur. Arctissima enim conjunctio est, quae manuaris artes cum liberalibus quibusdam constringit adeo, ut sine illis nunquam perfecte addiscantur. Non pervagabor singulas, sed contentus ero, si ea, quae in L. II de Utilit. Philosoph. Experiment. Ex. 8. sect. 1. p. 511. Robertus Boyle de necessitate, quae Physicum ad opificum officinas invisendum impellit, fuse ac erudite disseruit, hic etiam pro me loquatur. Utitur potissimum 6. rationibus stringentibus maxime & per omnia ponderosis, quibus extra dubitationis aleam ponit mutuò se invicem & Physicam & artes illas juvare, & utriusque emendationem ex circumspecta alterius connexione sperandam esse. Hinc etiam fatetur sect. 2. ejusd. Exerc. Th. 17. p. 525. se hujus rei tam firmiter persuasum esse, ut nisi publica patriae calamitate impeditus fuisset, aliquot optima indolis adolescentes singulis opificibus applicare constituerit certissima spe fretus, quod observationes à se suggestas & exactius animadversuri, & ubi in magistros evaserint, historiam professionis suae clarius exposituri fuissent. Idem animadvertit Cartesius cum aliis recentiorum philosophorum exoptatissimo cum successu, quaequã ad summum apicem nondum pertigisse videantur. Suggestas enim nobis opificia magnam experimentorum congeriem, quae tantum abest, ut rejici omnia voluerint Rob. Boyle Tent. Physiol. p. 23. & Joh. Joach. Beccherus parte 2. T. H. L.

Centr. mult. p. 94. Ut maximam illorum partem retinuerint, eoque multum sibi laudis eruditos inter pepererint, quas in Boyleo JLL. Anglicana Societas nunquam satis deprecabit. Porro & opificiorum notitia laudabilem opem præstat arti iatricæ, in organis præsertim, quibus chirurgi luxata fractaque membra restituant, quod ex Oribasii L. de Machinamentis affatim confirmari potest.

§. XIII. Atque hæc de utilitate ejus, quam uni alterive eruditionis parti speciatim præstat, nunc quò appareat & universam rem literariam hac ratione magis promoveri posse, paucis & hoc edisseramus. Neminem verò latebit, quanto majores studio discipulis providere sategerint, ne iteratis sæpe lucubrationibus, vigiliisque in multam protractis noctem, ipsi ægrè facerent sanitati, doctrinamque magno valetudinis detrimento mercarentur. Ideò Græci Gymnasticam publicè artem exercebant, ubi fessà diuturno studio membra adolescentes reficerent, sanguinisque cursum à remoris objectis liberarent, vid. Vossius Tr. de Arte Gymnastica. Hanc idè tantum fecit summus Plato, ut illam pro medicinæ haud extrema parte habuerit, multum licet indignante Marsilio Cagnato L. 2. de san. tuend. p. 105. 111. Consiliū hoc pariter amplexi sunt recentiores, prouti de se in L. de Vita Propria C. 7. Hier. Cardanus memorat. Ab aliis verò fastidiri cœpit, quibus temporis jactura quam una cum exercitio hoc conjunctam cernebant, occasionem dispiciendi dedit, quo pacto meliori inventionem discipulis inserviretur. Hos inter Joach. Fort. Ringelbergius agitationem ærei globi obtulit, minutasque laminas plumbi vestibulis interioribus affui jussit ceu ipse latius in L. de Ratione studii declarat. Quid autem ad nos cruciatus isti? En tibi L. B. longè feliciter faciliusque remedium, quod nec sanitatem tuam, nec utilitatem tantilla spe frustrari patietur. Ostendi antea, quos fructus opificia cuilibet cultori suo rependant, hinc perspicies, cum illa in perpetuo versentur motu non posse commodius tempus ab injuriis, eruditionem ab interitu, valetudinem à morbis prohiberi, quàm si intervalla, quibus studia interpungere solemus, quieti aliàs aut lusibus sacra, exercitio harum artium tribuamus.

§. XIV. Sed

§. XIV. Sed ut eò redeam, unde discessi, propositis jam tot tantisque commoditatibus breviter expediam, nihil hic traditum esse, nisi quod domesticis viribus humanum genus adipisci queat. Si enim illud concedi meretur universali quadam homines capacitate præditos esse, quæ omnia, quæ limites ingenii nostri non transcendunt facile complectantur, eequidem & illud in absurdis non erit, literarum cultui alias quoque artes commoditatis gratiâ posse superaddi. Quod effatum utinam non tot summorum virorum calculis rejectum esset, qui nescio ob quam rem diversa docuerunt. Ex antiquioribus ingens se opponit numerus, Theognis, Homerus Iliad. Δ. & Odyss. 9. Xenophon, Livius L. 22. Herodotus & Aristoteles L. 3. Polit. cap. 2. uno ore affirmantes, intellectum hominis ne minimum quidem in studio eruditionis spatium conficere posse. At enim verò quibus etiam se modis illorum efferat autoritas, nullum inde manifestis rationibus præjudicium orietur, ac de facili explodi poterunt præeunte nobis B. Martini in Problem. Polym. hic Wittebergæ A. 1612. publice ventilatis. Fecerunt & cum antiquioribus recentiorum quidam Bonnæus & Huartus, quorum splendorem tamen cum parum faciat *πολυμαθία* Morhofius Polyhist. L. 1. c. 1. p. 3. 4. non erit ut nimium hic vereamur. Interim neque nos consensus deficit, quo splendido illorum fulgore occurrere felici eventu queamus. Quod si Platoniorum in mentem veniat, illi nisi me fallunt omnia idem prorsus, diversa licet ratione factum voverunt. Statuunt enim scientiam quamvis naturâ nobis inesse, nostrasque mentes ex perfectis quarumque rerum ideis componi, eaque propter ad quælibet arripienda idoneas esse, cum eruditio reapse in nobis latens institutionis ac doctrinæ adjumento saltim excitetur. Parum abludunt quæ Boethius & Valent. Weigelius de ideis per cujusque *γνώθη σεαυτὸν* refricandis tradidere. Cujus etiâ opinionis dicam Cartesio ejusque assensu scripsit Leydekkerus in Face Verit. Loc. 3. quæst. 1. p. 90. 91. His ego testibus non eatenus utar, ac si erroribus ipsorum in solidum subscriberem, sed ut pellucens per tot nebulas in volucra, & non obscure transparentem veritatem, meam hic faciam. Omni autem exceptione major testis est Morhofius, cujus ne nobis extorqueatur autoritas,
paucis

9/11 11 2674
paucis hic vindicanda erit. Scilicet ex celebri ejus loco quodam, quo invehitur in illos, qui in academiis *παιδοφία* collegio se uno absoluturos gloriantur, contrarium audent evincere hostilemque inde in *παιδοφία* animum eruere. In horum itaque gratiam observandum est, conjici tela hæc non in alios *παιδοφίας* professores, quamqui sub invidendo nomine hoc nil nisi Logices, Metaphysices, Physices, Moralisque prudentiæ principia divendunt, seque ita officio suo præclare functos arbitrantur. Hos publicâ lege coerceri vult, quantumque eruditioni sint exitio publicè denunciat. Gemina his ac prorsus eadem Contr. Dietericus in Chrestomatia Græca p. 10. proponit, dignus qui hanc in rem sedulò evolvatur. Uterque autem contra quo ardore priores rejecerunt, eodem studio alios colaudant, qui *παιδοφία* perfecte, ordinatè, diluciteque enucleant, nullamque prætermittunt partem quæ ad perfectionem eruditionis & integritatem spectare videatur. Ex quo nemini obscurum erit, omni jam dubio auctoritatem Morhofii liberatam esse, illumque partes solum medici obiisse, qui, quò melius ægrotanti cupit, eò penitus morbos ipsius intropicit, notat, adhibitisque medelis depellere laborat.

§. XV. Cæterum quò tandem ad finem pergat oratio, opinionem pervulgatam, turpia esse opificia personisq; eruditorum indigna, illud perquam emollire poterit quod potentissimi Principes nunquam erubuerint curarum molestias Reipublicæ bono susceptarum, deliciis his temperare, sibi que exercitia ejusmodi gloriæ ac laudi ducere, tanta cum prudentiorum approbatione ut nil nisi risum laboris sui præmium tulerit Joh. à Ch okier in Thesauro Politic. aph. L. v. c. 20. p. 292. dum reprehendere morem hunc minusque decorum appellare ausus est. Interim tamen ab illis nihil dissentio, qui maximum discrimen hic inculcant ac sapienti delectu opus esse dicunt, ne iis se Princeps artibus assuefaciat, quæ omninò sordidæ sunt, majestati que ipsorum minime conveniunt ceu Mich. Piccartus Observ. Hist. Dec. 1. cap. 5. Horum exempla imitemur, quæque illis decora sunt, nobis non putemus turpia, certi deo non pœnitendos nobis fructus, consilium hoc esse redditurum.

S. D. G.

Magna

DO
BUS
SE
CYC

Domis
bu

Consultissimis,

NSULLI-
IQVIS
BUS

BLICÆ
IS,

Promotori-
uo pro-

Studiorum,
ad quævis servi-
e, interpretes

vinctissimus
d Sehmius,
C. M.

